





N. o. xxi. 100. 70  
1702, 100

Q. D. B. V.

# MAGDEBURGUM ET EXCIDIUM MAGDEBURGENSE

DEO TRINUNO AUSPICE ET  
CONSENSU,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
Eruditorum oculis

Eorumq;  
Erudito Examini

d. X. Maii Anno M DCCII.

Dic fatali quo ante unum & septuaginta annos  
urbs Magdeburgensis funditus  
eversa est

submisâ mente objicit & subjicit

P R A E S E S

M. Gottlieb Samuel Greuer /

Mägdeb. Saxo.

ET RESPONDENS

ISAAC CHRISTIANUS NICÆUS,

Crosha Siles. SS. Theol. Stud.

H. L. Q. C.

---

L I P S I A E,

Literis IO. CHRISTODORI. BRANDENBURGERI.

MAGDEBURGII  
ET  
EXCIDIUM

DJO TRINUNO AUSPICE ET

CONSENSA,

ALBILITIUS SACCHESIS P. P. I. O. P. H. I.

EDITIONIS OCCIDIS

EDITIONIS

EXCIDIUM

A X M<sup>DCCLX</sup>

DE FESTA DJO S. V. UND S. J. D. C. C. T. I.

UPP. MAGDEBURGENSIS FESTIVITATIS

COLLEG. OF

W. H. G. S. A. G. S. G. G. G. G.

P. R. E. S. E. S.

M. G. O. L. I. L. I. G. G. O. U. N. G. G. C. C. U. T. A.

W. H. G. S. A. G. S. G. G. G. G.

ET RESPONDENS

ISAAC CHRISTIANUS NICELIS

C. G. O. L. S. I. L. E. S. T. H. E. S. I. S. Y. G.

A. A. G. G. G. G. G.

F. I. L. S. I. T. A.

I. G. E. L. O. G. R. I. S. T. O. C. R. I. S. T. O. C. R. I. S. T. O. C. R. I. S. T. O.

# VIRIS

Illustri, Præstrenuis, Nobilissimis, Amplissimis, Consul-  
tissimis, multo rerum usu omniq; virtutum splen-  
dore præclarissimis.

INCLUTÆ REIPUBLICÆ MAGDE-  
BURGENSIS

PROKERIBUS GRAVISSIMIS DOMINIS,

DOMINIS,

PRÆSIDIMAGIFICO<sup>N</sup>  
CONSULIBUS  
SYNDICO  
CAMERARIIS

Cæterisque Splendidissimi Ordinis

SENATORIBUS

Dominis Mecænatibus & Patronis suis omniob-  
servantia colendis  
Salutem & obsequia



INCIPIT A FESTA PENTECOSTES  
LEGENDA DE VISIONE DOMINI  
LOGIA DE GRANATIS DOMINI  
DOLINIS  
PRAEVIDAMEN  
CORTULARES  
SYNODICO



Gnoscite quælo, VIRI MAXIMI, quod ardua vestra negotia hisce meis pagellis interrumpant vestrumque animum in variis rebus occupatum iis perturbem. Nomina vestra huic dissertationi praescribe-

re

re non ausus essem , nisi obſervantia ,  
quam vobis debeo me ad hoc proposi-  
tum instigaslet , mihiq[ue] vestra in Muſa-  
rium cultores , in primis cives vestros , be-  
nevolentia luculenter innotuislet . Quoni-  
am vero V O S Patres Patriæ civitatis  
meritissimi estis , de qua præsentem Dispu-  
tationem , religiosum in Patriam affectum  
testaturus , conscripsi , non potui non quin  
huncce partum V O B I S facrum cuperem .  
Advolvo itaque has Schedas ad pedes ve-  
stros , submisse rogitans , ut eas fronte serena  
aspicere , animoque benigno accipere non di-  
gnemini . Magnum enim splendorem accipiet  
inculta hæc dissertatio , si vos vestra huma-  
nitate atque benevolentia eam illustrabitis .  
Quem etiam favorem mihi promitto , certo  
sperans fore , ut ea , quæ tantorum Viro-  
rum personis vestrorumque Nominum  
splendore non satis digna in qualicunque  
mea disputatione dicuntur , æqui bonique  
confusatim . Quod reliquum est , me mea-  
que studia VOBIS de meliore nota com-  
mendo : mihi vicissim incumberet , De-  
um pro salute vestra perpetuo venerari , me-  
que

que totum vestris splendidissimis Familiis  
totique Patriæ devincire. Vivite ergo, PA-  
TRONI MAXIMI, Vivite Reipu-  
blicæ, Vivite vestris honoratissimis Fami-  
liis, Vivite mihi, ut magnorum nominum  
Patroni & favete

**Amplissimorum Vestorum  
Nominum**

M. Gottlieb Samuel Treuer.  
devotissimo cultori  
urn:nbn:de:gbv:3:1-760821-p0008-9



## Præfamen.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos  
Dicit & immemores non sinit esse sui.

**H**is verbis atque aliis Ovidius lib. I. de Ponto charitatem, pietatem & amorem hominum in Patriam admiratur causamque & anti amoris se necire fateatur. Audiatur vero celeberrimus Pufendorffius de obligatione erga Patriam §. 2. qui causam propensionis erga Patriam assuetudinem ad natalis soli indebet esse arbitratur: circumfusus aer, inquit, victusque ratio ipsam recens natorum teneritatem afficiunt & in sui familiaritatem fingunt. Quod etiam innuere videtur Job. Ludov. Praeficius in dissertatione de bono civi §. 14. p. 16. Diligitur ait, Patria & dulcedinem quandam habet præ alia terra & civitate per rationem & assuetudinem: nam & cum loco boni ibi accepti reminiscimur & ut P. Syrus habet, gravissimum est imperium consuetudinis. Quaecum ita sint, non miror, quam ob causam

Me natale solum tanta dulcedine ducat

Nec Patria immemorem me finat esse sui.

*Inter alia enim themata hoc de urbe & excidio Magdeburgensi, nimurum Patris meæ dilectissime, valde arrist: neque puto me contra decorum commisere, quod illud thema retinuerim. Si enim dulce & decorum est pro patria mori testibus tum Horatio & Cicerone.*

tum etiam laudatissimo Puffendorffio Lib. 3. de J. N. & G. c. 3. multo  
 magis dulce & decorum erit, Patrie memoriam illiusque annuam  
 festivitatem recolere animoque tractare. Ut silentio preteream,  
 quod jure nature obstricti teneamus, Patrie nostrum gratum ani-  
 mum quacunque occasione demonstrare, id quod J. N. scriptores sa-  
 tis testantur. Omnia enim que a nobis geruntur, non ad nostram  
 utilitatem & commodum sed ad Patrie salutem conferre debemus &  
 si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tri-  
 buendum sit officii; Principes sunt, Patria & Parentes. inquit  
 Cicero. **Omnem vero lapidem movebo, ut tum PRINCIPI AC  
 REGI PRUSSIÆ POTENTISSIMO ELECTORI  
 BRANDENBURGICO SERENISSIMO, DOMINO  
 MEO CLEMENTISSIMO, tum Patriæ mibi charissima,**  
 non quia magna, sed quia mea est, tum denique Parenti vene-  
 rando humillimi obsequii gratique animi tesseram hac qualicun-  
 que dissertatione devotissima mente exhibere possim. Disser-  
 tationem vero ita instituam, ut primo quedam de urbe Magdebur-  
 gensi & excidii antecedentia, deinde excidium ipsum ejusque con-  
 comitantia, denique illius consequentia rudi calamo pertractem &  
 quedam moralia aliaque passim interspergam. Nihil itaque su-  
 perest, quam ut tuam, **LECTOR HONORATISSIME, huma-**  
**nitatem mibi huicque disputationi expecam, cui novum accedet**  
 lumen, si tu tuo favore ipsam complecteris: atque magnopere  
 rogitem ut scubi ad rerum dignitatem minus apte & decoro locu-  
 sus sim, in bonam partem interpreteris. **DEUS vero T. O. M.**  
 annuat cœptis nostris eademque in sui nominis sanctissimi glo-  
 riam proximi salutem nostrumque commodum dirigat quam  
 clementissime.

## SECTIO I.

\* \* \*

## SECTIO I.

### §. L.

**I**NITIUM cum DEO facturi nostræ disputationis, prius de  
urbis Magdeburgensis nomine ortu atque progressu pauca  
dicemus, quam ad ipsum excidium accedamus.

### §. II.

Ortum ipsius quod attinet, dicitur Magdeburgum anno  
quadragesimo septimo A.C.N. a Julio Cæsare extructum: ■  
Cranzius in sua Metropoli lib. I, c. 3. putat hancce urbem à Julio  
Cæsare Barthemiam vocatam; tempore vero Augusti Cæsaris  
anno circiter vigesimo P. C. N. a Druso Nerone renovatam  
fuisse.

### §. III.

Mea quidem sententia, in quam etiam loqvuntur varia  
manuscripta Claudio Druso Neroni, qui Romanorum exer-  
citum tum Rhenum, tum etiam Albim trajecerat tribuendus  
est. Hic enim missus in Germaniam teste Floro *bif. Rom.*  
*Lib. 4, c. 12.* Cheruscos Svevosque, qui tunc temporis hu-  
jus regionis incolæ erant imperio Romano subjecit & non  
solum per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit,  
verum etiam Albim multis oppidis atque castellis sepsit. In-  
ter hæc præcipua recensentur castellum vari, quod hodie ap-  
pellatur **Werben** / castellum Ostorum (**Osterburg**) castel-  
lum Angurie (**Angermünd**) castellum Galba (**Kalbe**) & deni-  
que castellum **I. Fanum Veneris**. Probe vero notandum ca-  
stellum hic non notare locum muris munitum, sed tantum  
parvum quoddam oppidum propter excursiones militum extru-  
ctum designare. In Germania enim eo tempore nondum exi-  
stebant urbes muris cinctæ atque munitæ

A 3

### §. IV.

## §. IV.

Hoc itaque Castellum Veneris a Svevis Meydeburg aut Magdaburg, vel ut alii volunt Megadaburg nominantur est. Voces haec compositae sunt vel ex Meyd/ quæ vox Svevis ancillam significavit & Burg/ quod quidam ex græco πύργος turris derivare volunt. Vel ex Megada aut Magd/ quo nomine Venus olim insignita fuit, si fides Brotuff & Philipp von Zesen in der heydniſchen Gottheiten Herkunft p. 692. est adhibenda.

## §. V.

Causa vero hujus denominationis fuit idolum Veneris in templo quodam, cuius rudera adhuc extant, ad Albigem non procul a cœnobio Mariae Magdalena situm. In hoc enim templo erat currus aureus positus, quem duo cygni duæque columbae trahebant: illo veliebatur imago denudata Virginis, cuius excellentia forma atque venuſtas corporis indicabat, illam Venerem, alias Deam formosissimam juxta Ethnicorum figuramentum repræsentare. Oculos blandos & lucidos comam corona ex ramis myrtleis atque roſis plexa. In ore leniter ridenti tenebat rosam compressam: ex pectore aperto flagrabit fax & emicabat radius igneus, vel ut Crusius part. I. Lib. 12. fol. 328. & Pomar. Chron. fol. 34. annotarunt: erat telum acutissimum, quod etiam probabilius videtur, quia Ethnici olim Veneri ejusque filio Cupidini arcum atque tela attribuerunt. In manu sinistra ferebat globum mundi in cœlum mare & terram divisum, in dextra vero tria pomæ inaurata. Hancce imaginem Veneris in eodem curru sequebantur tres itidem nudæ Virgines, quæ sibi invicem implicatis brachiis a tergo pomum aureum porrigebant. De quo idolo Veneris vid. Crusius Chron. Svec. l. c. Granzius lib. 2. Saxon. Pomarius Chron. l. c.

## §. VI.

## §. VI.

Indicare autem volebant hujus imaginis cultores hoc simulachro Venerem non Arcadicam, quæ Melænis vocata est, nec armatam, ut nominarunt, de cuius origine Laetanius lib. I. scribit: *Hi nimirum Lacedemonii, cum pugnassent cum reliquis Archivis & sinistra fama maritos & viros omnes occisos referens Spartam pervenisset, famine armate, tanquam altera Amazones excurserunt. Viris autem occurrentibus illis ob amorem gratiamque formam passim permixte fuerunt. Ex hoc vulgariter concubitu progeniti postmodum erexerunt ob hanc fædissimam rem Veneri statuam, quam armatam indigitarunt.*

## §. VII.

Sed intelligebant Venerem Cypriam, quæ alias vocatur Ἀφεδίτη, quam sic dictam tradunt Hesiodus & Plato, quod e maris spuma sit enata: Aristoteles vero, quod natura semenis sit ἀφεδόν spumosa. Hecuba apud Euripidem hancce denominationem inde derivat, quod ἀφεσύντις αἴχνη θεά i. e. insipientia princeps Dea sit. Hesiodi autem & Platonis sententia optimæ videtur esse, quia Venus ex sangvine Saturni, qui in mare cecidit & ex spuma maris nata esse dicitur. Cypria autem hanc ob causam appellatur, quia concha margaritifera, quæ Venerem fovit, per fluctus maris ad Insulam Cyprum appulsa est. Nominatur etiam ἀλυρίνη saligena, ποντία επιτονία, πιλαγία i. e. marina.

## §. VIII.

Huic Veneri tribuitur aureus currus cui juncti sunt cigni atque columba: Haæ aves enim sacratæ erant Veneri; cignus propter candorem suum: columbae vero quia Venus se, ut narrant, sæpius in columbam transmutavit. Quod autem haæ aves currum Veneris trahant testatur Quidius lib. 10. Metam:

Vecta

Vecta levi curru medias Cytherea per auras  
 Cypron Olorinis nondum per venerat alia.  
 Et lib. 4. Metam. de columbis ait:  
 Perg. leves auras junctis in vecta columbis  
 Littus adit &c.

## §. IX.

Venustram atque modestam habuit formam, quia formosissima singitur Dea: adeo, ut cum Paris decretum facere deberet, quænam inter has Palladem, Junonem & Venerem elegantiæ formæ excelleret, pomum Eridos huic tanquam pulcherrimæ daret. Cum vero hocce præmium acciperet, capiti imposta erat corona myrtleæ, quamobrem ipsi ferta myrtleæ semper fuere sacra. Rose vero hanc ob causam Veneri sunt dicatae, quia eo tempore, quo Venus ad littus Cyprium fuit appulsa ptocreverunt.

## §. X.

Rosa autem nondum aperta in ore ridentis Veneris, aut notat, Virgines non debere esse loquaces aut amorem esse celandum, nihilque de eo dicendum. Ambrosius enim ait lib. de Virginit. *Claude vas tuum ne unguentum effusat: claudo virginitatem tuam verecundia loquendi.* Et autor quidam non obscuri nominis illam Virginem, quæ raro loquatur, optime loqui, haud incongrue arbitratur. Quod vero Rose signum taciturnitatis sint, testantur græci, qui olim Deo suo Harpoocrati & Romani qui Deæ silenti Angerona inter convivia Rosas sacrabant & testam illis repletam mensæ imponebant.

## §. XI.

Fax ardens in pectore Veneris significare videtur, amorem, cuius Dea Venus est, sese instar ignis habere. Quis enim

enim ignorat, Veteres tum Poetas, tum alios scriptores amore in  
cuius igne comparasse. Sic enim Ovidius canit. *4. Metam.*

*Quoq. magis tegitur tectus magis astutus ignis.*  
& epistola *12.*

*Quis enim bene celat amorem?*

*Eminet indicio prodita flamma suo*

Pier. Valer. lib. *46.* p. *452.* dicit Ægyptios Sacerdotes, qui odium per aquas significabant, per ignem amorem expressisse: ideoque faces passim Cupidini dedicasse. Hanc ob causam non miror, quod ardenter facem Venus hæc in aperto habuerit pectori. Tela & arcum tum Veneri tum Cupidini eam ob causam affinxerunt, quia amore captiuam Venere aut Cupidine telis esse vulneratum censem. *§. XII.*

Globus mundi, quem manus sinistra Veneris tenebat, indicabat suminam ejus potestatem, in qua non solum orbem terrestrem omniaque animalia bruta, verum etiam orbem cœlestem ipsosque Deos, ut fabulantur, continebat. Tria poma, qua in manu dextra ferebat, fortasse sunt Punica, quia hæcce poma Veneri olim fuerunt consecrata. Erat enim Dea generationis, ideoque inmundum per illam multiplicari putabant instar granorum mali Granati, quæ fere innumera sunt. De Venere ejusque variis statuis confer *Natal. Com. Mythol. L. 4. c. 13. p. m 381.* sqq. Selden. de Diis Syris passim. Vincent. Chartarii Imagines Deorum *mag. 83. Declar.* p. *217. - 228.* Burcard. Gotthelff. Struvii Antiquit. Rom. *vid. p. 97. 98. 99. &c.*

*§. XIII.*

Quod attinet tres illas nudas virginis, quæ Veneris erant pedissimæ, illæ fuerunt tres Gratiae: græce vocantur *χαῖρες* & nomina ipsarum sunt Euphrosyna, Aglaja & Thalia, quæ etiam

B

Pasi

Pasithea dicitur. Deæ censentur beneficentia, comitatibus & humanitatis. Filiae dicuntur Jovis & Eurimonæ velut alii putant Veneris & Bachi. *Vid. Dresserum Isag. Hist. part. 5. p. 409.* Sed plerumque socia Veneris esse feruntur. Earum implicata brachia fortasse concordiam denotant. Semper illas manus Virgines varii testantur: Unde quoque Magdeburgum Parthenopyrga & Parthenopolis i. e. urbs aut castrum puellarum vocari solet.

## §. XIV.

Hoc itaque idolum ex Venere tribusque virginibus constant origo fuit urbis Magdeburgensis. Immensum autem beneficium omnipotentis Dei est, quod incolas hujus Episcopatus a falso falsorum Deorum ipiusque Diaboli cultu: ad verum suum nominis sanctissimi λατεριαν converterit, quod anno 1524. factum est. Quantam enim blasphemiam committunt idololatriæ, qui simulachris eam servitutem exhibent, qua debetur Deo? *Vid. August. lib. 1. de Trin. Tom. 3. p. 245.* Omnia malorum extremum & primum est idolorum cultus adorationisque a creatore ad creaturas translatio, teste Gregor. Nazianzeno orat. 3. in Christi natio. Tom. 2. p. 390. Ipsum enim Diabolum, qui caput idololatriæ est ejusque principium & radicem introduxit, ut loquitur Gregor. M. lib. 3. expos. in 1. Reg. c. 4. Tom. 2. p. 1346. adorant sub imaginibus creaturarum: quod quantum sit peccatum undeque originem trahat, tum Patres citati, tum etiam Vossius libris quatuor de orig. & progr. Idolol. Owenus de natura ortu & progr. Veræ Theologia lib. 3. c. 3. sqq. prolixè ostendunt.

## §. XV.

Attamen, licet tantum fuerit delictum, Svevi & Saxones huic idolo per sexcentos & quod excedit, annos religiosum cultum exhibuerunt. Donec Magnus Carolus hocce idolum confregit

fregit & ad propagandam religionem Christianam in honorem veri Dei templum S. Stephani exstruxit. Annum, quo hoc factum est, determinare non possumus: Magna quippe autorum hic est diversitas. Alii enim anno 771. alii 772. alii 778. alii vero 781. factum esse putant. In eo autem fere omnes conveniunt, templum Stephani a Carolo M. ædificatum anno 782. ab Hunnis & Vandalis esse combustum atque eversum: & anno 784. Carolum M. Episcopatum Magdeburgensem cum novem aliis per Saxoniam fundasse, de quibus vide Chronicon antiquum Mindense e manuscriptis in lucem editum & Joh. Pappum in epit. histor. eccles. p. 68. sq.

## §. XVI.

**R**ept quidam pescatores, cum Hunni & Vandali vicum Magdeburgum ejusque templum ferro & incendiis vastassent, facilius in honorem Stephani restaurarunt, in quo Deo sacra faciebant. **H**ic ex eorum domiciliis aliorumque hominum adiiciis oppidulum exortum est. In nulla vero erat celebritate, usque dum, ut supra dixi, Carolus M. Episcopatum, qui primum Schirensis fuit, si Pappo credamus l.c. Magdeburgum transtulit. Ast longe celebriorem reddidit huncce locum Editha quæ Ottoni M. matrimonio juncta illum in dotalitium accepérat. Anno enim 940. consensu Imperatoris ex hoc oppidulo urbem construxit, illam mœnibus cinxit atq; muniuit, domus magnificas ædificavit atque Metropolitanam ibi condidit Ecclesiam, Ottoque M. hancce urbem multis ornavit & donavit privilegiis. Qua de re etiam Johannes Irenschmidt, in sua Thuringia hos compositus versus:

*Quem primum validis muris circundedit Otto*

*Ade sacra instaurans civis domaque locum*

*Cum vicus tenuis foret atque ignobilis ante*

*Clara per Europam nunc urbs templisq; scholisq;*  
*Marte, toga, ingenis divitiisq; viget.*  
*Postq; tot exhaustos resolutus morte labores*  
*Cæsar in hac idem conditus urbe jacet.*

## §. XVII.

**U**ecenime urbs angebatur in dies civibus ædificiis, opibus  
 splendore atque ornatu, adeo, ut urbs florentissima atque am-  
 plissima Saxonia tunc temporis evaderet. Varia autem sæpius  
 litigia exorta sunt, varia quoque bella gessit. Scribunt enim an-  
 no 982. Vandalos atque Polonos Magdeburgum expugnasse,  
 multaque milia hominum interfecisse. Anno 1013. Regem Po-  
 lonie Ladislauum urbem diripiisse. Anno 1314. Burchardum Ar-  
 chiepiscopum urbem obsedisse. Anno 1550. Ducem Meclen-  
 burgensem cum civibus Magdeburgensibus prælium commis-  
 se. Illosque cum variis v. g. Nobilibus Saxoniæ, Capitulo Epi-  
 scopatus Magdeburgensis &c. varia litigia atque bella confecisse.

## §. XVIII.

Deinde Mauritius Dux Saxoniæ urbem obsidione pressit;  
 illa erit a Cæsare Carolo V. propter religionem Lutheranam  
 & quia librum, qui vocabatur Interim, ejusque doctrinam  
 approbare solebat, proscripta erat. Ideoq; Imperator pœ-  
 nam ab ea repetiturus mittebat Ducem Saxoniæ, qui mandata  
 ejus hac obsidione, quæ d. 4. Octob. Anno 1550. initium cepit  
 & Anno 1551. mense Novembri finita est, exequi volebat. Quo  
 anno etiam urbs Mauritio juramentum Fidelitatis præstabat.  
*Vid. Dresser. Isag. Hist. part. 5. p. 429.* Anno 1629. Dux Fridlan-  
 diae, qui ducebat exercitum Imperatoris Ferdinandi II. illam  
 quoque obsedit, sed præterlapsis viginti octo hebdomadis illud  
 obsidium solvit.

## §. XIX.

Sane haec obsidio præsigum fuit obsidii illius celeberrimis et remissione excidi, quod anno 1631. sequutum est. Cum enim adhuc Magdeburgum criminis latæ Majestatis, periculorum conventiculorum, conspirationum aliarumque rerum perniciosi exempli ab invidis suis hostibus atque inimicis accusaretur, ipsi omnem moverunt lapidem huic urbi florentissimæ interitum atque exitium parare. Falso enim dispergebant Magdeburgenses Cæsareæ Majestatis leges atque mandata respuere, illos fidem atque obsequium Cæsari debitum non praestare, imo cum Ferdinandi II. hostibus inire foedera. Notanter dixi falso, quia Magdeburgenses non ut hostes sed ut amici in exercitum Cæsarismulta collocarunt beneficia. Nam constat luculenter, tum ex Theatro Europæ Tom. 2. p. 53. & p. 354. tum etiam ex aliis, quantopere Magdeburgenses commodis Cæsarei exercitus inservire sategerint? Non mentionem faciam commeatus, nec pulveris nitrati s. tormentarii, quem ipsi suggesterunt: & silentio prætermittam suumtus eximios (fuerunt autem mille & trecenti floreni) quos exercitu suppeditarunt.

At vero hisce beneficiis odium hostile sublatum non est, sed potius hostes Parthenopolis illam apud Cæsaream Majestatem in summa invidiam, a qua tamen culpa urbis longe absuit, adduxerunt. Adeoque Imperator putans omnia veritate niti, quæ ab ipsis audiret, iustitiam exerciturus, jussit hostes Magdeburgensem Tillium atque Pappenheimium, qui ex instinctu Monachorum aut forte ex ambitione urbem Cæsari invisam reddiderant, illam obsidione premere & ad obsequia ritete praestanda compellere. Aliam causam adducunt præter historiam Gothanani Lib. 2. c. 5. sect. 2. p. 805. etiam alii, quæ hæc

est, Cæsarium exercitum urbem ob sedisse, quod illa novum Episcopatus Rectorem Cæsaris filium non recipere edicti vigore a Pontifice obtrusum; quod vero viris eruditis perpendendum suoque loco relinquimus.

## §. XXI.

Adlreiter quidem Annal. Boj. Part. 3. p. 240. omnem culpam in hanc urbem culpæ expertem conjectit & mendaciat impudenti scribere non veritus est: *Urbem inter primas, Lutheri dogmata ex Illyrici & Amsborffii institutione complexam, didicisse Cæsaream Majestatem legesque & Magistratus respuere, ceteroqui fraxi impatientem & sue affuetam licentia aussam fuisse cum Cæsaris hostibus pacifici amicitiis eorumq; successus suos facere. Hancce suam falsam sententiam corroborare annititur exinde, quod Magdeburgum cum Rex Svecia Gustavus, glorioissimæ memoriae heros, in Germaniam venisset, illi se committere coepit, cum tamen ille se pro Cæsaris hoste cessasset.*

## §. XXII.

Sed putarem, urbem hanc ab Imperatore proscriptam, ab hostibus truculentis obsessam & undiquaque pressam a nullo alio sibi auxilium potuisse expetere quam a Rege Svecia strenuo veræ Religionis Christianæ defensore. Hostes enim urbi privilegia eripere, Religionem Papisticam in illam introducere teste Theatro Europæo l. c. p. 355. omnibusque commodis eam privare atque spoliare studebant: & cum caput & famam suam defendere injuriasque propulsare volebat, nullas Imperator ipsi dabant aures, quia inimici potentes multis calumniis atque mendaciis ejus aures permulcebant & hoc modo odium occulsum in urbem effundebant. Quare non video, cur injustum appellandum sit, quod urbs nostra omni ab omnibus destituta ope open Regis Sveciae imploraverit illumque sui tutorem consti tuerit?

## §. XXIII.

Alacrem enim Regem ad tutandam siam Rempublicam constituebat: qui tamen alacritate atque prudentia sua Parthenopolim ab excursionibus hostium imo ab eversione tueri non potuit. Acerbissimum enim ejus interitum jamjam erimus descripturi antequam autem id faciemus, de miraculis quibusdam atque prognosticis, ut vocari solent patua in medium sumus allaturi. Ante omnia vero memoratu dignum esse arbitror, Petrum Lotichium II. Professorem Academiae Heydelbergen-sis insignem Poetam & quasi divino quadam Spiritu afflatum longe ante excidium vidisse mala venientia Parthenopyrgae Ejus carmen quod de istius obfitione ad Joach. Camerarium Papenbergensem scriptis, continetur in Elegia 4. Lib. 2. p. 42. sqq. Opp. Et quoniam jucunde ac eleganter confectum est nec inter multorum manus versatur, in rem esse putavi, illud Carmen hoc apponere, de cuius elegantia ipse B. L. judicabit:

*Si vacat arcanis aures prebere querelis,  
Nec data per levias omnia spernis aves.  
Accipe, quis primis, Joachime, cadentibus astris,  
Accipe, quis vidi, cum foret orta dies.  
Nox erat, & placidos spargebant sidera somnos,  
Quos levis aeria devehit aura via.  
Plaustrag, Mænalia dum custos flecteret urse,  
Sompna sunt curas hæc imitata meas.  
Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus, an Ister,  
Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.  
Stabat arenosa vetus urbs in margine ripe,  
Omne cruentato milite cincta latus.  
Castrag, pectabat virgo de mænibus altis,  
Fallor, an in levâ ferta fere manu.*

*Flebat,*

Flebat, & invitis miscebat fletibus iram,  
 Turrigerō longas vertice scissa comas.  
 Ergo tremens, quis me manet exitus? inquit, an ultra  
 Sors mea quād tandem progrediatur, habet?  
 En ego, quam fori tot secula fortiter urbem,  
 Nobile cui de me nomen habere dedi.  
 Effteris ex imis evertere sedibus hostis  
 Nititur, & venie jus superesse negat.  
 Hic pietatis honos? ea libertatis amat?  
 Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?  
 Prost! & excusat, quod sum mihi conscientia recti,  
 Et caput in patria nulla quod arnia tulit.  
 Sed prodeesse parum est: labes hinc prima malorum,  
 Hoc miser& (verum si profitemur) obest.  
 Macnia debueram natalia prodere, texi:  
 Fide nec innocuis civibus esse, fui.  
 At decus hinc nostra quondam meruere puelle,  
 Ad quas & populi summa relata sui:  
 Gratia vindicibus jam nulla rependitur armis,  
 Cum tulerint alie premia, plector ego.  
 Quid faciam? quāspē uitar? quō lumina flectam?  
 Unde petam fessis perditarebus opem?  
 Non mea conrubiis operatur in urbe juventus,  
 Pace bona castigaudet Amoris opus.  
 Squalida vastatis apparent frugibus arva,  
 Hostis ab agricola non sinit arva colii.  
 Nec lego purpureos infesta recentia flores:  
 Non mibi flös pratis mollibus illus hiat.  
 Funera bis vidi campis indigna meorum,  
 Damna bis adversa tristia Marte ruli.

Heu

Heu mihi, qualis erit (quod abominor) exitus urbis,  
 Concidet hostili si reserata manu?  
 Quis tenerum pavide latus hauriet ense puelle,  
 Virginitas cuius preda latronis erit?  
 Hec oculi quecumque dident, cinis omnia sient,  
 Utraque dicetur flebile ripa solum.  
 Ergo dies veniet, quā mortis nulla tuebor,  
 Parvus restabit nominis umbra mei.  
 Quag fuit murus terram proscindet arator,  
 Urbsq; sub his, dicet, collibus alta fuit.  
 Quid grazius, victor Geta, miseranda tulissim,  
 Cesare quam magno bella gerente fero?  
 Atq; utinam servi potius mea viscera Thraces,  
 Persaq; & extremus dilaceraret Arabs.  
 Hoc tamen infelix casus solarer acerbos:  
 Vnnera cognat& sunt graviora manus.  
 Majorum tumulos, sacrosq; Tuifonis umbras  
 Testor, & hec tacita sidera fixa polo,  
 Meservasse fidem: si mentior, ultima nunquam,  
 Que patior, tantis hora sit ulla malis.  
 Et tamen ut furiis insurgit atrocibus hostis:  
 Si libet in einneres serviat illa meos.  
 Herbifer evallis, gelidig; in vallibus amnes,  
 Quicquid & in terris dulce relinquo, vale.  
 Este mei memores ripa, Nymphaeque sorores,  
 Longa mea in vestris regna fuere locis.  
 Plura querebatur, nostro sed protinus omnis  
 Corpore defluxit somnus & orta dies.  
 Mæstus, & obscura turbatus imagine noctis,  
 Sub matutini lumina solis eram.  
 Montis inaccessis adicibus adjacet imis  
 Lucus, ubi varie consociantur aves.

Est sacer arbustis, vastisq; recessibus horror,  
 Per medium rauca volvitur amnis aquae.  
 Hic trepidus speciem repetens in valle quietis,  
 Ergo quod (ajebam) somnia pondus habent?  
 Cur nimium memini? verisque simillima vidi,  
 Langvidus aurora cur oriente fui?  
 Dum queror, & variis turbatus obambulo curis,  
 Mobilis arboreas impulit aura comas  
 Ecce quatit rapidis Jovis armiger aera permis,  
 Albus & incurvis ungibus beret olor.  
 Nulla fugae est capto: spectantq; silentq; volucres,  
 Aspera dum fulv. & pr. spetis armamentum.  
 At vigil, auroram qui cantibus evocat, ales  
 Audet ab aeriis obviis ira jugis.  
 Tunc volucres sedas exercitus undique pugnas  
 Suscitat, alarum planisibus antra fremunt.  
 Interea removent subeuntia nubila solent,  
 Pro sagique micat fulminis igne polus.  
 Terreor, & vanos reor hec quoq; fingere somnos,  
 Sed patula vigilans ilice nixus eram.  
 Mox paue redenunt, & ovantes Sole reducto,  
 Paulatim molli pace fruuntur aves.  
 Et nive candidior, velut iam fata vocarent,  
 Fundit olor dulces ad vada nota sonos.  
 Protinus exclam<sup>o</sup>, superi mea visa secundent,  
 Ing. Notos, quicquid triste minantur, cat.  
 Nec minus indigenis uoce sua munera Nymphis,  
 Et palmis hystas libo duabus aquas.  
 Hactibi, cui fas est casus aperire futuros,  
 Carminibus volui non reticere meis.  
 Plura quidem vidi, sed quae cœlanda putavi,  
 Valle sub arcana, cetera quercus habent.

§. XXIV.

Præter hocce vaticinium multa extitere miracula, quæ misserrimum interitum urbis urbi præfigaverunt. Anno enim 1630. vi ventorum quinque turres templorum variorum corruerunt, ruinamq; fecerunt. Et brevi postea multis lapides multo sanguine sudasse perhibent. Die 19. Novembris ejusdem anni horrenda Ecclipsis Lunæ exorta est, quo tempore etiam ex capite Syderis Orionis quosdam conjunctos & albicantes radios instar virginæ emicasse observarunt. Anno 1631. monstrum aliquod ex corpore demortuæ alicuius mulieris prægnantis in suburbio Neostattensi excidium excidium urbis prædictum. Erat enim infans, qui magnitudine infanti tres annos nato similis erat. Indutus erat galea armis atque ocreis, qvæ ex cuti subtili constabant. Ex corpore pendebat theca tormentaria carnosa in qua duo nodi rotundi instar globorum bombardæ inveniebantur. Inter miracula etiam recensent, quod magna copia' canum fæse in foro novo congregaverit totaque urbs canibus noctu ululantibus resonaverit. Maximum vero & certissimum præfigium fuit discordia tum inter ministros Ecclesiæ, tum inter cives civiumque senatum exorta: Concordia enim res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur & quod discordia res perniciofissima, juxta Ciceronem, in civitate sit, urbs Magdeburgensis suom exemplu potest corroborare. His itaque perspectis prognosticis ad excidium urbis progredimur.

## SECTIO II.

## §. I.

**Q**uestio autem hic subnascitur, an Magdeburgum ex absoluta quadam necessitate fuerit eversa? an vero hoc excidium urbi tantum contigerit & fortuito casu acciderit.

derit. Per necessitatem vero absolutam intelligimus id, quo res aliqua nulla facta suppositione, ita necessaria est, ut mutari nequeat. Stoicis dicitur fatum, per quod intelligebant; juxta opinionem Petri Martyris LL. CC. Loc. 13. p. 53: necessitatem ex connexione causarum ipsi Deo imperantem & apud Agellium Lib. 6: t. 2. naturalem compositionem universarum ab æterno mutuose consequentium indeclinabili & inviolabili quadam serie. Negamus vero urbem ex fato quodam Stoico periisse: absit enim a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant, ut loquitur Gregorius M. homil. 10. in Evang.

## §. II.

Si autem fatum eo sensu accipiamus, ut notet dispositionem divinam secundarum causarum ad effectum fatalem, quo etiam sensu Boethius in 4. de consol. Philos. summis, testante Vossio de orig. & prog. idol. lib. 2. c. 59. possumus concedere, Magdeburgum ex fato quodam Theologico ruinam fecisse. Hac enim ratione bona & mala, vita & mors, paupertas divitiæque sunt a Domino juxta n. 14. c. 11. Ecclesiastici. Attrauenis hinc ita positis non tollitur contingentia excidii Magdeburgensis. Licer enim Deus disposerit & direxerit milites Cæsarianos ex justo iudicio. justaque poena, quam cives Magdeburgenses peccatis meruerant, ut urbem obsidione cinxerint, tamen ipsis liberum fuit obsidium illud solvere & cum oppugnassent urbem, illam aut delere aut mitius tractare. Si enim hoc non concedas, necesse est, ut afferas, Deum autem fuisse crudelitatis multorumque delictorum, quæ milites Cæsariani in expugnata urbe commiserunt, quod vero plane absurdum & blasphemum est. Vid. D. Brachmann. Syst. Loc. 12. c. 2: quest. 3. p. 209. De Fato vero tum Stoicum Christiano pluribus vide Vossium l. c. 6. 49. p. 576. sqq. D. Joh. Olearium in geistlichen Hand-Buch p. 1: p. 387. Anton Le Grand.

Grand in insit. Phil. P. 2. c. 5. p. 135. sq. Lipsium de clementia.

Lib. II. c. 20.

### §. III.

His ita — perensis nunc dicendum venit, die 30. Martii comitem Tillium magnis copiis Magdeburgum appropinquare; illamque urbem obsidione circumdedisse: Hoc enim die inter propugnacula, quorum unum Presteram, alterum den. **Crenz**. Hosti vocabant castra sua posuit tribunumque militum & octoginta praesidiarios, qui in posteriori aggere excubabant, una cum quatuoraeenis machinis in ditionem redigit. Die 31. Martii quoque Presteram aggredis est, ex qua centum milites, qui erant praesidio in portoriū se receperunt, quia tot tantisque copiis resistere non poterant. In hoc autem non acquiescebat Tillius, sed turrim Cracoviam atoriebatur illamque quinque tormentis per sex fere horas quatiebat, usque dum quindecim praesidiarios, quos vires deficere coepérant, turrimque suæ faceret potestatis.

### §. IV.

Dum isthac adiūstrantur a Tillio, Comes Mansfeldius eis Albitum munimentum Buccavicūm, in quo septuaginta praesidiarii excubias habebant, expugnavit. Interea cum Tillius exercitu suo eminus Portorio nocere non poterat, propugnaculum, quod a rubro cornu nomine accepérat, crebra tormentorum percussione petiit. Et quoniam Magdeburgenses vitantam vim repellere non audebant, ex illo cum quinque aeenis machinis majoribus, uno minore relicto in urbem confugerunt. Quod postquam Tillius intellexit, quosdam cohortes navigijs impo- fuit & coelo albente illos in hunc locum deduxit. Cumque nullos animadvertisset resistentes, legionem peditum & aliquod turmas equestris illuc ire jussit. Quo facto fossas ducere coep- runt,

runt, eos sine, ut defensoribus Portorii, transitum & refugium in urbem claudant & prohibeant. Sed Falckenbergius, cum ipsi hoc nunciatum esset vidissetque, quanto, qui portorio praeerant, sint expositi periculo, illos ex hoc propugnaculo, intercilio a tergo Ponte, in urbem confugere jussit.

## §. V.

Quare cognita Tillius in vacuum Portorium praesidia introduxit lateq; fuit animo, quod nulla adhibita vitam opportunum locum obtinuerit & ita Magdeburgensibus omnem fere subsidii spem ademerit. Viginti enim propugnacula, quos Magdeburgenses haberunt, omnia sua potestatis fecit, excepto uno, quod in loco, qui appellatur *Marsch*, situm erat. Nihilominus tamen cives belli celeritatem diutius morari potuissent, nisi suburbia tantis sumtibus extorta Igne destruxissent illaque deseruissent. Die enim 21. Aprilis Sudenburgum, quod nocte antecedente hostes invaserant, incendio conflagravit & Magdeburgenses illud penitus demoliti sunt.

## §. VI.

Cum haec fierent, Pappenheimius d. 23. Aprilis cum quinq; legionibus peditum in Lacu rubro (Germ. Rothen See) castra sua constituit, prope suburbium Neostattense. Quam obrem urbis praefidarii illud, ne hostes ipsis ex hoc plurimum noceant, incendiis inflammarunt. Die 24. Aprilis Pappenheimius coelo albescente semicombustum suburbium occupavit, & cum centum circiter milites ipsis resisterent, illos in urbem rejecit. Quibus rebus peractis in quatuor locis vineas ad urbem ducere hostes coeperunt, qua ex re Magdeburgum, sed serius, persperxit, serio Tillium & Pappenheimium rem esse acturos. Ideoque cives plurimi animis cadebant probe videntes, quam curta sibi sit supellex. Milites enim non paucos in defendendis propugnaculis

culis perdiderant: annona crescebat illiusque gravitate multi premebantur; nec munitione bellica permittere videbatur, ut se atque urbem per longum aliquod tempus tueri possent, quibus malis perterriti Magdeburgenses animis frangebantur.

## §. VII.

Attamen cohortationibus tum Administratoris, tum etiam Falckenbergii excitati erectiores erant, sibiique aut vincere aut mori proponebant. Quare, ne hostium insolentia cresceret, qui propter expugnationes tot munitionum altum praesere gerebat animum, a Falckenbergio contenderunt, ut sibi eruptions facere permetteret. Cui petitioni, cum prius aures dare nollet propter paucitatem militum, tandem ipsi locum reliquit. Qua re impetrata summus excubiarum praefectus Amsterroth cum quadraginta militibus in hostes, qui suburbium Neostattense tenebant, erupit, & prostatim sedecim militibus, destratisque sportis munitoris sese cum duobus captivis in urbem contulerunt.

## §. VIII.

Altera eruptio fiebat a Falckenbergio & Legionum vicario Trostio, qui quibusdam cohortibus & turnis hostem adeo in angustias redegerunt, ut fugam cepisset, nisi Tillius jani devictis legione succurrisset. Quare cognita Magdeburgenses centum & quinquaginta hostium interfectis urbem cum quibusdam captivis repeterunt. Nec minore felicitate summus vigiliarum praefectus tertia facta eruptione pugnavit. Quadraginta enim circiter hostes morti dedit ipsique multa pretiosa praedae fuerunt.

## §. IX.

Antequam vero haec eruptiones fierent, Tillius literas tum ad Administratorem Marchionem Brandenburgicum Christianum

num

num Wilhelnum, tum ad Schatum Magdeburgensem, tum ad Falckenbergum dedit, in quibus singulos monebat, ut immensen exitium bene perpendant, fidem violatam redintegrent, Cæsari debitum obsequium præstent urbisque ditionem faciant. Magdeburgenses vero literis perfectis Tillio respondebant, se nunquam fidem violasse nec unquam Cæsari debitum obsequium esse denegaturos, omninem vero culpam in hostes iustos & invidos esse rejiciendam, qui urbem urbisque incolas nulla data ansa in tantam, ut constaret, misericordiam deduxissent: simulque petebant, ut Tillius inducias faceret, sibiique legatorum ad Saxonicum & Brandenburgicum Electores mittendum securitatem permitteret. Hac erat summum literarum Tillii, tum responsorum, quæ Magdeburgenses dabant. Præterea Tillius etiam ad modo laudatos Electores literas exaravit.

Inter hoc literarum commercium Pappenheimius in suburbio Neostattensi vias obsidionales struxit & brevi tantos ad urbem accessus fecit, ut obsessi tormentis æneis ipsi parum vel nihil nocere pottierint. Quare percepta Magdeburgenses machinam bellicam in turrim altam, ut vocant, porta collocarunt, qua multis hostium necem attulerunt: Adeoq; licet tantis angustiis premebantur, tamen infraacto & imperterritio erant animo. Adlreiter Part. 3. annal. Boj. lib. 16. §. 32. p. 242. ex coco quodam odio in religionem puriorum concepto putat, concionates verbi Lutherici bycinnatores (vel quasi verbi illius Lutherus & non ipse Deus autor esset) plebem sponte jam efferatam in anni spe adfuturi in tempore auxiliū e pulpitibus suis dementasse; jactasse Angelum urbis tutelarem (loquitur ex sententia Pontificiorum, quasi Sacerdotes Magdeburgenses in eandem fuissent locuti sententiam) visum promulis agere & circumire excubias. Sed credat

credat Judaeus Apella, non ego. Quis enim non videt, quod  
heretice relatio in cerebro Adlreiteri sit exorta? cum praedicantes  
verbi divini ex Pontificiorum falso dogmate cives Magdeburgi-  
cos ad constantiam commovisse falsissime afferit. Ut silentio  
omittam, in nullo scriptore Historico, quotquot de hac mate-  
ria mihi legere licuit, illius minimam fieri mentionem.

## §. XI.

Sed ut eo, unde digressus sum revertar; d. i. Maji Pappen-  
heimius extruere jussit aggerem s. suggestum, in quo tormenta  
locavit, quibus postero die urbem verberavit. Ast Cæsariani  
flexo in vesperam die ab hoc loco discedere coacti sunt, quia  
plus damni acceperant, quam urbi intulerant. Hoc itaque lo-  
core relicto per aliquot dies tormentis bellicis non sunt ulli, sed  
tantum accessus in urbem promoverunt, adeo ut fere undique  
militibus Cæsarianis aditus in fossas patuerit. His ita peractis die  
7. Maji, in quatuor locis sedecim machinas bellicas Pappenhei-  
mius posuit, quibus gladium imbre in urbem effudit. In-  
terea viginti milites & decurio in vallum urbis penetrare fage-  
runt, qui tamen eruptione facta duobus ex illis captis unoqve  
occiso rejecti sunt.

## §. XII.

Omnia vero ad impetum in urbem faciendum fuere para-  
ta, sed quoniam turrim altæ portæ & munimentum coronarium  
ex lapidibus constructum tormentis dejicere non poterant, illud  
in sequentes distulerunt dies. Cives vero Magdeburgenes ad  
excipiendos & propulsandos hostium impetus paratissimi exti-  
tere, cum tamen Tillius putaret, urbem ad conditiones esse de-  
scensuram. Qua quidem expectatione deceptus, sed non defa-  
tigatus Tillius tantam globorum glandiumqve copiam in urbem  
effudit, ut globos glandesqve pluere videretur. Nihilominus  
tamen cives urbis obfessi excitatis ad pugnandum animis non  
sunt collapsi spem adhuc in subsidio Regis Sveciae ponentes.

## D

## §. XIII.

## §. XIII.

Tillius itidem probe sciens copias auxiliares Gustavi Adolphi appropinquare Electoremque Saxoniae multos legere milites, omni festinatione urbem expugnandi properavit. Quo capto consilio crebra tormentorum fulminatione globisque ignis vomis urbem ainxit & die octavo Maji nuncium cum literis ad Marchionem Brandenburgicum, Magistratum urbis & Falckenbergium in urbem misit, in quibus singulos instantis exitii admonuit simulque hortatus fuit, ut se suosque Cæsari & Patriæ reseruent, sibiique urbem tradant. His epistolis perfectis senatus Magdeburgensis nuncium earum usque ad diem 10. Maji retinuit, quo die responsa ad Tillium dare decreverat. Dum istæ geruntur turris altæ portæ repentina ruina concidit opusque coronarium lapidibus explevit.

## §. XIV.

Eodem etiam die terna vice fossores Cæsariani, qui fossas urbis terra replere satagebant fortiter sunt repulsi. Die 9. Maji tremenda machinarum bellicarum arietatio ad meridiem detinuit, quæ urbi ejusque defensoribus parum nocuit. Postea quoque Tillius quædam tormenta ænea ab aggere abduxit, quamobrem obsecsi in animum induxerunt, Tillium obsidium esse soluturum. Quo facto in castris Cæsarianis vergente jam die legionum præfecti de re commode tractanda consilium iniverunt: ubi Tillius de imperio in urbem faciendo consilium repudiavit, putans, illud non esse ex sententia successorum. Attamen cum quidam legionis præfector hujus rei strenuus fvor & autor esset varia que adduceret argumenta ad persuadendum Tillium reliquaque, ad unum omnes decreverunt, prima luce sequentis dici insultus in urbem facere.

## §. XV.

Dum hæc in castris Cæsarianis administrantur, cives atq; milites Magdeburgici hostium actiones atq; molimina animo atq; oculis ob-

observerunt & in sequenti nocte incredibili vigilantia excubias e-  
gerunt: ac quoniam hostes ea nocte se tranquillos quietosq; gere-  
bant cum solis ortu plurimi eorum tantis vigiliis cruciati sese do-  
mum contulerunt quietiq; tradiderunt. Hoc autem hostes explo-  
ratum habuerunt quia ( o nefandum scelus!) parricidae Patriæ,  
ut perhibetur, vid. *Theatr. Europ.* l. c. illad hosti denunciarunt.  
Adlzreiter l. c. convitia more solito in urbem vemens de eorum  
secessu scribit: *abiēre jaēcis prius in Deiparam Virginem ipsōs qz  
oppugnatores contumelis.* Calumniare audacter Adlzreitere:  
nemo quippe neutras partes sequentium est, qui tuis contume-  
liis fidem adhibeat: licet enim cives Magdeburgici virginem  
Deiparam , uti fas & jura jubent, non adorarint , tamen probe-  
scire, convitia in illam non esse conjicienda.

## §. XVI.

Potius ardenter precibus tanta pressi miseria verum  
Deum, non B. M. Virginem invocarunt: *αἱ γὰς συμφοραὶ συ-  
σίλλογοι καὶ ποιῶσι τωφρονεστέρες* juxta Isocratem & ut Germanus  
in proverbio est: **Noth lehret beten.** Sed mittamus hæc, &  
qua d. 10. Maji facta sint, videamus. Hoc die tam Falckenber-  
gius, quam Senatus urbis in curia post horam matutinam septi-  
manam in eo occupati erant ut nuncium Tillii literis responsoriis  
ipsi remitterent. Ast repentina tumultu perterriti, cum quid  
ageretur in urbe essent ignari, subito sese foras proripiebant  
& inopinato hostium impetu turbati ultro citroque discursabant.  
Falckenbergius vero re cognita Pappenheimium fossa urbis su-  
perata rejectisqve ex vallo præsidariis in urbem penetrantem  
quibusdam manipulis repellere omnem navavit operam. Pap-  
penheimius enim militibus suis tesseras dedit hæc duò nomi-  
na : Jesus Maria albamqve ligulam brachio alligatam: quibus  
exceptis tum pedites tum equites ex equis descendentes impe-  
tum in urbem fecerunt. Cum vero hi rem agerent cum Falcken-  
bergio, alii altam portam invadunt, in qua excubitores defessi

somnoqve graves prius vulnera, quam hostes animadverterunt.  
& eam ob causam facillimo negotio devicti atqve dejecti sunt.  
Hisce Falckenbergius civibus & militibus quibusdā conglome-  
ratis succurrens inqve medium aciem irruens globo bombardæ  
percussus est; adeoq; heros fortissimus fortissime pugnans occu-  
buit. Quo malo percussi hoc in loco acriter resistere non potue-  
rant, multiq; eorum ab hostibus sunt occisi.

### §. XVII.

Interea Dux Holsteinius munitum, qvod a cornibus  
nomen habet prope portam, qvam Crökenam vocant, aggres-  
sus est, sed milites Prætoriani tanta vi renxi sunt, ut hostes re-  
infecta decederent, & magna eorum strages fuisse edita, nisi  
Pappenheimius, qui quatuor legionibus vallum usq; ad por-  
tam jam dictam victor occupabat prætorianos a tergo effet ador-  
tus, qva de causa hū ad unum omnes sunt interemti. Dum hæc  
geruntur, comes Mansfeldius milites Magdeburgicos fortissime  
habuit resistentes: bis enim ab illis repulsus deniq; per portam  
effraetam & revulsam in urbem irruit. Quo facto milites urbis  
coacti sunt, sese in medium urbis recipere & quamvis ductu centu-  
rionis Schmidii hostem usq; ad vallum rejecerint, tamen  
eum Tillius magno impetu illos persequeveretur, hoc etiam duce  
acriter vulnerato, omnia eorum molimina in cassum abierunt.  
Et quoniam hostes immanitate efferati nullis aut paucissimis vi-  
tæ gratiam faciebant, omnes illis obvii in humanis atq; hor-  
rendis modis sunt enecati. Hæc vero omnia ab hora nonā usq;  
ad undecimam agebantur adeoq; hostis post horam nonam, ut  
ferunt, urbem superavit illamq; suæ potestatis fecit.

### §. XVIII.

Hora decima flamma exorta est, qvæ longe lateq; ædium  
testa coripuit. De autore qvi ad moverit huncce ignem auto-  
res variis varie loqvuntur. Adlreiter l.c. num. 34. & 38. & ano-

ny-

nymus in Libello, qui inscriptus est: *historia tūtscher Händel p. 110.* putant cives urbis hostibus opes divitiasque suas invidisse, ideoque ne ipsis prædæsint, ignem excitasse, ut omnia flammis peræant. Verum enim vero, si rem accuratiori inspicimus ocu-  
lo, animoque nobiscum volutamus videmus juxta omnium His-  
toricorum assertionem, milites Cæfarianos obvios sibi quos-  
que enecasse civesque proripiente flamma omnes fuisse interfe-  
ctos, si paucos excipiatis, quos milites Tilliani captivos duxerunt; quomodo ergo potuissent, urbem accendere? Deinde etiam licet adhuc adfuerint cives, attamen pepercissent suis liberis & uxoribus in domibus degentibus, quibus vero certissimum in-  
cendio patebat exitium. Plurimi autem scriptores afferunt ho-  
stes urbi ignem subjecisse, ut ejus defensores hoc malo perterri-  
ti animisque collapsi illam acriter tueri nequeant: Vel ut hostes  
e domibus accensis omnes omnis generis homines eliciant atque  
fusæ potestatis faciant. Flamma vero vento increbrescente tan-  
tis crevit auctibus, ut urbs hactenus pulcherrima, florentissima  
& amplissima Saxoniae per duodecim horarum intervallum in  
fumum atque cineres fuerit redacta adeoque funditus eversa.

§. XIX. *propositio cypriani q. annis 136. si*

Nihil exurbe combusta restitit, nisi juxta plurimos, 136. si  
vero Adlreitero credere fas est, 150. domus piscatorum, tem-  
plum cathedralē & monasterium B.M. V. a quo magna adhibita  
diligentia, centum milites ignem abstinuerunt. Nunc dicen-  
dum esset de horrenda crudelitate, cuius aculeos milites catho-  
lici non catholici in incolas urbis emiserunt: ast horror animum  
subit, manus trepidat, hæsitatque in scribendo calamus.

## §. XX.

Anne enim in medium proferam, illos in templis variis  
sexaginta, & quod excedit, foeminis antea stupratis capita de-  
truncasse Sacerdotique manum caputque amputasse? illos præ-

gnantes atque alias mulieres, quae infantibus matutinas dede-  
runt, neglectis eorum precibus gladiis transfodisse? An com-  
memorem, illos infantes lactentes cuspidi suffixisse eosque mi-  
serandum in modum hastis circumferentes illis palpantibus ac  
ejulantibus oculos pavuisse animumque exaturaſſe. Miles enim  
quidam glorioſe ostentasse dicitur, se plures quam viginti pue-  
rulos eodem, quo dixi, modo vita privasse, & quærenti com-  
militoni, anne Dei vindictam vereretur? respondisse, dolere,  
quod non plures ita maſtaverit: hæreticorum enim infantes  
eiusmodi mortis genus demereri.

## §. XXI.

Ut silentio pæteream istos homines conceleratissimos infantes  
medios dirupisse adeoqve e medio sustulisse: Istos tam uxores  
quam virgines, inter quas etiam puellæ decem vel undecim annos  
natæ repertæ sunt, palam tanta vi compresſisse, ut multæ earum  
diem obierint extremū. Omittam istos fœminis ætate proiectis  
pulverem pyrium variis in locis affixisse adeoqve multis crucia-  
tibus illas enecasse: istos multas carum in aquas præcipitasse va-  
riasque variis cruciandi generibus morti dedisse. Quam ob rem  
multæ virgines tantam aspicientes miseriam illamque evitaturæ  
fese ultro in Albim & nisi pœnitentiam egerunt, quam usqve  
ad extremum halitum agere ipsis licuit, in gehennam abje-  
runt. Sibimetipſi enim mortem confiscere nefas est, quia tum  
divino tum civili Juri adversatur: ideoqve in eo sunt culpæ,  
quod e duobus malis, tanta nimirum ærumnarum copia & auro-  
xæta minus electuræ, hocce posterius, tanquam majus, elegerint.

## §. XXII.

Præterea hostes multa nefanda facinora commiserunt.  
Die enim sequenti **ii. Maji** flammâ repressâ cellas cellariaque in-  
vaserunt & licet multi fumo ingenti fuerint suffocati, attamen  
cæteri omnium rerum copia affluentे se vino epulisqve sepeli-  
ve-

verrunt. Tanta vero disfluentes luxuria mihi non solum vivis sed etiam demortuis invidisse videntur. Illos enim crudelissima morte affecerunt: hos vero multis modis dedecorarunt. Nam viris demortuis varia membra resecarunt: foeminas autem (horrendum dictu!) quasi ex cordes animaqve rationalis expertes vitia intulerunt. Deinde corporibus eorum coacervatis insidentes Ducum exercitus praefectorumqve nomina biberunt. Denique vino epulisqve repleti reliqua in terram profuderunt: quam helluationem nuptias Magdeburgenses vocarunt. Ah! nuptias lacrymabiles! in quibus Jubilate in Ejulate conversum est! Tillius vero teste *Hildebrand, Synops. histor. univ. p. 251.* virginem dixit se accepisse Magdeburgi, Lipsiam huic debere vestitum. Witteberge consecrationem per agendam & Dresden nuptiale convivium esse celebrandum. Qva spet tamen frustratus est.

### §. XXIII.

Die 12. Maji templum Cathedrale Tillius jussi aperire, in quo mille circiter homines latuerunt, quibus suppliciter vita conservationem ab ipso potentibus vita salutem panemqve autopsyron largitus est. Die 13. Maji Tillio primorum ordinum Praefecti quædam vexilla urbis obtulerunt. Die 14. Maji cum Tillius impulsa tympana palmis, ut a cædibus & prædis abstinerent, publico interdiceret edicto, omnibusqve & singulis adhuc latitantibus vitamqve tenebris trahentibus vita securitatem promitteret, multi e catervis demortuorum (ah! miserandum spectaculum!) vel proprio vel occisorum sangvine madidi cum singultibus lamentantes proreplisse feruntur. Die 15. Maji expugnatores urbis solennem duxerunt pomparam & in templo cathedrali propter reportatam victoriam Te Deum laudamus terra tormentorum facta arietatione sunt modulati adeoque urbs ab hostibus in triumphum ducta est. Numerum occisorum, quod attinet Adlzreiter l.c. 7000. illis, qvos fumus effocavit,

non

non numeratis, alii 20030. aliis 24000. quidam 30000. & Hor-  
nius *orbis Politici Part. 2. p. 139.* 36000. hominum ferrō incendio-  
que periisse afferunt. Ex civibus enim vix quadringenti tantæ  
superfuere cladi inhūmanæque plane crudelitati sese suamque  
vitam subduxerunt.

## §. XXIV.

En itaque B. L. urbem Saxoniam florentissimam funditus  
velut alteram Trojam eversam & excisam! Ecce ambustas for-  
tunarum reliquias, muros tormentis percussos, turrem arduas  
dejectas desolatosque agros. Ecce Magnificas domus deflagra-  
tas earumque ornatus concrematos! Aspice urbem alias propter  
negotia mercatoria, nunc propter miserrimum excidium cele-  
berrimam! Aspice cives acerbissimo suppicio affectos igne se-  
micrematos, multis vulneribus confectos & dilaceratos! aspi-  
ce virgines mulieresque vi compressas sanguine tum proprio  
tum adjacentium infectas! Contemplare infantes mammis ad-  
harentes evisceratos variisque membris mutilos! Audi ejulatus  
misérabiles infantum, patrem matremque vocantium, rursum  
prorsumque cursantium demortuosque Parentes lacrymis am-  
pleteantur! Dole vicem, miserare casum, moere miseriam,  
geme excidium, luge interitum lacrymabilem insontis urbis  
civiumque culpa parentium! Plange eversum, excisum, dele-  
tum Magdeburgum!

## SECTIO III.

## §. I.

**H**Æc de excidio, nunc quæ post excidium fuerint gesta, vi-  
deamus. Rex Sveciæ cum exitium urbis ad aures ejus  
pervenisset, tanto doloris sensu affectus est, ut sancte ju-  
raverit, se Magdeburgum vere ac velimenter etiam cum jactu-  
ra vita sua velle ulcisci. Et ne culpæ alienæ reus & promissum  
auxilium

auxilium citius afferre potuisse vulgo audiret, in scripto aliquo se suamq; famam defendit scribens, Magdeburgenses prius suntus ad legendos milites noluisse suppeditare, quam ipse adfuisset hostis; nec sese sine luculentu rerum publicarum jactura cele- rius succurrere potuisse. Tillius vero Junio ineunte, relicitis Magdeburgi septem peditum millibus, septingentisque equiti- bus, cum cæteris copiis in Thuringiam progressus est: cumque sylvam Hercyniam permearet multi suorum militum à ruficis sunt prostrati, ut prælium in iis locis fuisse commissum videtur, adeoque multi crudelitatis, quam in Magdeburgum exer- cuerunt, poenas dederunt.

### §. II.

Isthinc creptus d. 7. Septembris prope Lipsiam cum Gu- stavo Adolpho signa, sed mala alite, contulit. Rex enim Sveciæ illum illiusque copias in fugam conjetit victoriamque de ho- ste ferociente reportavit. Ita Magdeburgo pari clade Cæsa- rianorum parentatum fuit, ut loquitur Hornius l. c. Tillius vero capite suo multis sclopetis hastisque converberato dorsoque tormenti verberatione colliso sese Halam Saxonum & exinde Halberstadium contulit. Illum magico charactere vulnera evitasse quidam perhibent, à quo eum defendit Adlzreiter Part. 3. ann. Boj. lib. 16. num. 89. p. 256. Attamen mortem effu- gere non potuit, sed anno 1632. vulnere morti fero d. 5. Aprilis in prælio ad Licum commisso læsus, paucos post dies animam efflavit. Illum iam moribundum, quod tam miserrime Mag- deburgum vastare permiserit, pœnituisse omnemque excidii culpam in Pappenheimium transtulisse refert Theatrum Euro- pam p. 635.

### §. III.

Ineunte Januario anni 1632. Bannerus Svecicus Dux copiarum Magdeburgum, in quā Duo millia militum Cæsarianorum tan-

E tupa

tum in præsiis erant annonaque premebantur ob sedit, sed Pappenheimio urbi subdio multis copiis proficidente, ob sidium soluit, & ad Calbam castra sua constituit. Pappenheimius vero Magdeburgam ingressus, probe vidit presidia se diutius hic non posse sustinere urbemque tueri: Idemque die 8. Januarii vasa collegit, aenæ machinas, quas secum ducere ne quibat, partim disruptit, partim in Albim conjectit, omnibus navibus, pontonibus, motis aquariis, ponti, tabernaculisque militaris nuperime ædificatis ignem subjecit, muro diruto vallum solo æqvavit urbemque omnibus incolis evacuatam reliquit. In cuius postea rudera Dux Exercitus Bannerum tres cohortes Svecicas abduxit: qvō facto exules Magdeburgenses, qvi tantis expositi periculis vitam sibi servarant, in urbem redierunt & Gustavi Regis promissionibus erexit illam non sine lacrymis ex cinere restaurare coeperunt. Pappenheimius vero non impune ferociam suam in urbem effudit: Cum enim in pælio prope Lützenam lethale excepisset vulnus, statim Lipsiæ sub luce ortum ex vulnera animam posuit; adeoq; omnes fere hostes Magdeburgenses, qvi in urbem quam violentissime faverunt, impetu violentiæ sunt oppressi.

## §. IV.

Urbs tamen ab illis pressa, & fere oppressa nihilominus caput erigere coepit, quia urbes finitima miserata ejus vicem ipsi suntus ceteraque quæad victimæ & valetudinem fuere necessaria suppeditarunt. Hoc enim exules Magdeburgici afflitti efflictæ ardenterque ab illis contenderunt, qvod confirmat scriptum aliquod anno 1635. in lucem editum, cui titulus erat. Ad Reges, Principes, Regnorum & Principatum ordines exulum Magdeburgensem literæ supplices. Meliore vero loco res Magdeburgica tunc temporis fuissent posita, si Regi Sveciae vita diutius contigisset: Sed magnus ille heros ante pælium prope Lützenam commissum, libertatis & religionis vindex,

dex, fortiter & animose pugnans Rex animi generosissimi generosissimum cum sanguine effudit spiritum.

## §. V.

At, licet ille fuerit demortuus, tamen urbs sub Svecico imperio fuit, usqve dum Elector Saxoniae Johannes Georgius anno 1636. illam obsidione circum dedit, quia inter illum & Svecicos litigium exortum erat, ipsamque in mense Julio, qvia ad conditiones descendebat, per deditio[n]em occupavit. Anno 1638. FERDINANDUS III. privilegia, quibus Maximilianus II. urbem donavit v.g. de c[on]cedendo aura atque argento aliisq[ue] rebus clementissime confirmavit. Anno 1643. & anno 1644. exercitus Svecicus urbem obsidione clausit illamque capere frustra s[ecundu]m f[ac]tum. Anno 1646. Cohortes Saxonicae, ex praefidiis urbis deductae sunt & Magdeburgenses propria prasidia Civitati imposuerunt. Anno 1666. civitas Magdeburgensis Electori Brandenburgico FRIDERICO WILHELMO MAGNO, qui exercitu suo d. 9. Maii urbem appropinquabat & Duci Saxoniae AUGUSTO, homagium fidelitatis & subjectionis in Eventum, ut vocant, præstavit. Cumq[ue] Augustus anno 1681. diem extreum obiret Elector Brandenburgicus glorioissima memoriae Magdeburgi venit & cives verbis conceptis d. 30. Maji in illum jurarunt. Sub cujus imperio Magdeburgum tanta incrementa cepit, ut merito urbs florentissima nominaretur. Tres itaq[ue] magni nominis Principes extitere, qvibus Magdeburgum omnem suam salutem debuit. Primus fuit CAROLUS MAGNUS, qui oppidum tunc temporis Magdeburgum a falso ad veri Dei cultum deduxit. Alter fuit OTTO MAGNUS, qui ex oppido urbem construxit eamque magnificam & celebrem reddidit. Tertius fuit FRIDERICUS WILHELMUS MAGNUS, magnus nomine, magnus virtute, magnus rebus gestis, qui urbi antea devasta[re] maxima attulit incrementa. Cum itaque magni sint ur-

bis conditores & conservatores, magna quoque urbs dicenda erit.

### §. VI.

Magna etiam est, ratione moderni Patris & Domini sui clementissimi, FRIDERICI III. SAPIENTISSIMI, REGIS BORUSSIÆ POTENTISSIMI, ARCHICAMERARII & ELECTORIS BRANDENBURGICI SERENISSIMI, sub cuius Sceptro ab omni parte beato urbs beatissima & opulentissima evasit. Crevit illa, crevit & accrescit sub umbra alarum aquile hujus generosissimæ: crevit ædificiis atque opibus, crescit splendore atque ornatu, accrescit fortuna atque dignitate. Et omni jure cives Magdeburgenses de hoc Principe dicere possunt, quod Cuspinianus de Imperatore quodam posteritati reliquit: Imperante eo securi viximus, neminem timuimus, Patre pio Patre Senatus, Patre omnium bonorum. Securi enim vixerant nec ullum hostem timendum habuerunt: potius hostes arma Brandenburgica timent: Arma quippe REGIS felicissimi & invictissimi invicta & vinci nescia sunt. Nec mirum; quia tum arma tum Sceptrum REX sapientissimus sapientia & prudentia gerit & regit, quam ob causam Ipsi multi hostes omnibus viribus nitentes ad victoriam, victoriam invito invicto concederunt. Et quid dicam de ejus sapientia, q̄a non solum Academiam Halensem sapientissime fundavit, verum etiam multas leges imperantes honesta, prohibentes contraria velut alter Solon promulgavit. Justitia ipsius ex symbolo, quo utitur, cunctorum oculis patet nempe: ***suum cuique tribendum.***

### §. VII.

Ut de Pietate & amore ejus tum in subditos, tum in Deum nihil loquar. Supplicibus supplicum subditorum votis, si fas & jura sinunt, semper locum relinquunt: Provinciarum desideriis & singularum etiam civitatum precibus occurrit; illosque elemen-

mentia, beneficii & facilitate complectitur. Multis in exilium ejectis hospitium hospitio alibi negato negare noluit, sed illis multa jura ac privilegia in Provinciis, quibus imperat, dedit atq; concessit. Ut silentio prætermittam, quanta Pietate piissimus Princeps Deum colat ac veneretur: FRIDERICO enim stante stabit Religio: & Religione florente florebit FRIDERICUS. Florebit etiam ut columen & culmen Patriæ ac cum ipso florebit Virtutis Paternæ ac Sceptri Regii Hæres Generosissimus, fessi, quod serissime fiat, Atlantis integer Alcides, DOMINUS FRIDERICUS WILHELMUS II. Amor atque delicium orbis & urbis Magdeburgensis, PRINCEPS JUVENTUTIS, in quo virtutes Majorum omnes confluxerunt.

## §. VIII.

Præter hosce Patres Patriæ, Patres quoq; Urbis urbi ejusq; saluti jam vigilansissime prospicunt. Viri maximo ingenio consilioq; pleni civitati presunt & si Platonii credamus, uti in hoc credendum est, dicenti, tum deniq; fore beatas Republicas, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent omne suum studium in doctrina atque sapientia collocassent; Respublica Magdeburgensis erit beatissima, quia & docti & sapientes illam regunt, qui omne studium in exercendis virtutibus collocant. Mala enim atq; impia, homines vitiis inquinatos v. g. Sycophantas, mendaciorumq; buccinatores aliosque ejusdem furfuris homines ad poenas rapiunt; pia vero atq; bona virtutisq; amantes præmiis afficiunt, magnasq; Reipublicæ Magdeburgensi afferunt utilitates. Lætare itaque, charissima Patria, de adeo clementissimis, sapientissimis & vigilansissimis Patribus: Venerare Majestatem & Sceptrum REGIS tui indulgentissimi: Verere spem Patriæ Sceptriique Majestatici hæredem. Amore prosequere Senatum & Magistratum tuis commôdis omni tempore fervientem, Deumq; mecum precare, velit ille illos omni felicitate beare.

E 3

## §. IX.

¶. IX.  
Deus itaque T. O. M. REGEM POTENTISSIMUM, D<sup>O</sup>-  
MINUM meum indulgentissimum, REGINAM, MATREM  
DOMINAMQUE PATRIÆ GRATIOSISSIMMAM, PRIN-  
CIPEMQUE JUVENTUTIS GENEROSISSIMUM per longæ-  
va tempora servet, foveat atq; tueatur. Superent illi annos  
LVIII. FRIDERICI II. LXIII. JOACHIMI FRIDERICI &  
LXVIII. FRIDERICI WILHELMI MAGNI, superent illos in  
omnium rerum prosperitate. Fulciat Deus Thronum Regium  
fortuna atque perennitate, augeat sapientiam sancto suo Spi-  
ritu, Ipsiſq; ea largiatur, quæ vetus Ecclesia Imperatoribus appre-  
cari consueverat. Vid. Tertull. *in apologet.* c. 30. *Vitam nimi-  
rum prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus for-  
tes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum & quecun-  
que Principi Christiano apprecaſi possumus.*

## ¶. X.

Florent quoq; viri Consultissimi Senatus Magdeburgen-  
sis: iis enim florentibus florebit Magdeburgum. Deus dirigat  
eorum corda, prosperet eorum consilia atq; conamina Reipu-  
blicæ salutaria: repleat illos sapientia, & quam diutissime ec<sup>s</sup>  
urbi præesse jubeat. Vigeat etiam Summe Reverendum Mi-  
nisterium urbis, Deus foveat ipſos ipsorumq; ardorem docendi,  
promoveat laborem & maximam doctrinis eorum admoveat  
felicitatem & fertilitatem. Deniq; floreat tota civitas MAG-  
DEBURGUM, Deus augeat ejus incrementa, opes atque ornatus,  
avertat ea, quæ ipsi mala minantur, omniaque pericula in ni-  
hilum redigat: Sic enim urbs florentissima & pulcherrima Saxo-  
niæ omnibus nominabitur. Quod reliquum est pro concessis  
haec tenus Patriæ Patribus urbiq; beneficiis atq; viribus sit in infi-  
nitorum seculorum seriem

SOLI DEO GLORIA.

## COROLLARIA.

- (1.) *Nemo ad religionem est cogendus.*  
 (2.) *Datur Fatum.*  
 (3.) *Justa & submissa recusatio non est rebello.*

**D**um nobis memoras Patriæ trifissima fata,  
 Te memorem Patriæ, dulcis Amice, probas.  
*Ipsa tui memorem sese quoque, crede, probabit*  
*Ac tibi promeritum conferet officium.*

*Nobilissimo Domino Präsidio egregium eruditio-*  
*nis specimen ex animo gratulatus scripsit*

**D. JOH. SCHMIDIUS, P.P. Alumnorum Electo-**  
**rat. Ephorus & Collegii B.M.V. Präpositus & Senior.**

**L**aude sua dignum est facinus multumq. decorum  
 In scriptis Patriæ commemoruisse:  
 Sed virtute iamē spectata ac artibus illam  
 Est laudabilius nobilitare bonis.  
 Illius ut specimen clarum, TREUERE, dedisti,  
 Sic etiam hoc certum nil magis esse potest.  
 Est hinc cur Patriæ illustri, Patriq. verendo  
 Hoc decus eximium grater utrig. suum  
 Grater & implorem Numen, Patriamq. Patremq.  
 Conservet salvos incolumesq. diu.

His Clarissimi Domini Präsidis, cum eruditio[n]is spe-  
 cimen publice disputando ederet, Patriæ & Vene-  
 rando Domino Parenti gratulati voluit

**L. CHRISTIANUS LUDOVICI, Lingg. Orient. P.P.**  
 extraord. Organi Aristotelici Ordin. Collegii Marianii  
 Collegiatus & ad D. Thomæ Con-R.

*Iste*

Iste dies decimus Maij funestus & ater  
 Olim Judeis extitit: arca Dei  
 Capta Philisteis, erat ingens squalor ubiq.  
 Terg<sup>o</sup> decem gentis millia clade cadunt.  
 Parthenopyrgiacis elegia moesta Lorich<sup>I</sup>  
 Predixit teclis hand meliora diu.  
 Sunt eadem decimo Maij eheu! cuncta secuta  
 Feralig<sup>o</sup> die id nunc tua Musa docet  
 Gratulor bunc partum, qui certi testis ad instar  
 Arguit invidias, ingeniumq<sup>ue</sup> probat.

Accelerabam

JOANNES Gottlieb Hardt / P.P. &  
 Minor. Principum Collegiatus,



Christianus Hardt, M.D., Linnei, G. Linnaei, C.  
 V. A. v. T. v. L.  
 v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L.

Christianus Hardt, M.D., Linnei, G. Linnaei, C.  
 V. A. v. T. v. L.  
 v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L. v. L.





**ULB Halle**  
007 352 425

3



✓ 718





### Farbkarte #13



Vol. XXII. 70. 70  
1702, 10

**Q. D. B. V.**  
**MAGDEBURGUM**  
**ET**  
**XCIDIUM**  
**AGDEBURGENSE**  
**DEO TRINUNO AUSPICE ET**  
**CONSENSU,**  
**plissimæ Facultatis Philosophicæ**  
**Eruditorum oculis**  
*Eorumq;  
Eruditio Examini*  
*d. X. Maii Anno M DCCII.*  
**: fatali quo ante unum & septuaginta annos**  
**urbs Magdeburgensis funditus**  
**everfa est**  
*submissa mente objicit & subiect*  
**P RÆ S E S**  
**Gottlieb Samuel Greuer /**  
*Magdeb. Saco.*  
**ET RESPONDENS**  
**AC CHRISTIANUS NICÆUS,**  
*Crosha Siles. SS. Theol. Stud.*  
*H. L. Q. C.*  


---

**L I P S I Å,**  
*Literis Jo. CHRISTOPHORI BRANDENBURGERI.*